ORATIO
IN FVNERE
ADMODVM REVERENDI, AC EXIMII PATRIS,
P. F. CHRISTIANI LVPI
IPRENSIS
In Alma Louanienſi Vniuerſitate Sacræ Theologiæ Doctoris; ac Profeſſoris Primarij, & Regij, Eremitarum S. Auguſtini nuper Prioris Prouincialis,

HABITA

A F. FRANCISCO FARVACQVES INSVLENSI,

Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Sacræ Theologiæ Doctore Louanienſi, & in Ducali Abbatia D. Gertrudis Profeſſore.

LOVANII, die 12. Iulij 1681.





LOVANII,

Et denuò Romæ, Ex Typographia Pauli Monetæ. 1681.

Superiorum permiſſu.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.
I. de Angelis Archiep. Vrbin. Vicesg.

✠********************************✠

Imprimatur.
Fr. Raymundus Capisuccus Sac. Pal. Apostolici Megister
Ordinis Prædicatorum.



ORATIO.



Achel dum peperit Patriarcham Benjamin, Lupum illum rapacem de quo Genes. 49. *Beniamin Lupus rapax manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia*: nomen eius vocauit BENONI, id est *Filius doloris mei*.

Sacra nostra Religio Augustiniana, MAGNIFICE DOMINE, &c. Dum hodie Deo, cœloque parturit, & transmittit dilectum suum Beniamin, Lupum rapacem, sed animorum, sed cordium, sed affectuum, qui manè & exordio vitæ suæ sibi comedit prædam optatissimam insatiabili,& rapacissimo sanctioris doctrinæ & virtutum studio: & vespere diuisit spolia longo vsu doctrinæ & virtutum meritis comparata. meritò, licet non ex eadem prorsus causa, gemens exclamat, & vocat nomen filij sui BENONI, id est, *Filius doloris mei*.

Verè, Vir Ex. CHRISTIANE, filius doloris es Matri tuæ Religioni Augustinianæ. Dolet illa tristis & gemens, quod Te à nobis abeunte orbata sit dilecto suo Beniamin, Viro amantissimo, filio dexteræ suæ, ornamento & Diademate gloriæ suæ pretiosissimo, lumine oculorum suorum, Augustinianæ doctrinæ incomparabili thesauro, viuo Religiosæ obseruantiæ & pietatis exemplo, superiorum in regimine speculo, gaudio suo & corona exultationis suæ.

Quamquam non soli Religioni Augustinianæ, sed & huic Academiæ Matri tuæ filius doloris es VIR EXIMIE: Matrem tuam splendore sapientiæ tuæ illustrasti, virtutum tuarum odore suauissimo imbuisti, consilio, opera,auxilio,authoritate adiuuisti,& sartam tectamque,quantum in Te fuit, conseruasti.

At quid de Religione Augustiniana? quid de Academia loquor? illi ipsi, quæ mater est fidelium, Ecclesiæ, filius es doloris. Dolet illa vehementer præmaturè ereptum sibi generosum pugilem, Virum bellatorem ab Adolescentia sua, LVPVM qui præliabatur bella Domini, qui apprehendebat arma & scutū antiquitatis, vt eneruaret tela & molimina nouitatis. Qui à verbis impiorum non timuit, quia fundatus erat supra firmam Matris suæ Ecclesiæ Petram. Luget illa, mœrore conficitur & tantum non inuidet Ecclesiæ triumphanti, se militantem, destitui fausto

illo sydere, cuius radijs & splendore collustrata, infernalium hæreseon tenebras frequenter dispulerat, erroresque dissipauerat.

Proindè, Auditores, finite plangam hodie dolorem meum, dolorem Religionis nostræ, dolorem huius Academię, dolorem communis omnium nostrum Matris Ecclesiæ. Sinite, vt tanti Viri memoriam sacrificio laudis honorificem, & ex innumeris, quæ hic dici possent pauca seligam, vnde possitis ex vngue Christianum LVPVM dignoscere. Interim sermonem meum mœroris mole iacentem & prostratum, attentionis, & beneuolentiæ vestrę studio, recreate & subleuate.

Natus est hic LVPVS noster rapax Anno salutis 1612. die 12. Iunij in Ciuitate Iprensi, ex qua oriundum fuisse magnum Ecclesiæ Doctorem Hugonem a S.Victore non ità pridem in Scholis nostris Theologicis ab ipso defuncto nostro didicimus. In sacro Baptismatis fonte adeptus est CHRISTIANI nomen; nomen vtique non inane, nec vacuum vel titulū sine re in eo, qui totius vitæ suæ decursu, opere & veritate verum Christianum se probauit. Legerat illud Augustini: *Quàm multi vocantur Medici, qui curare non norunt? quàm multi vocantur Vigiles, qui tota nocte dormiunt? sic multi vocantur Christiani, & in rebus non inueniuntur: quia hoc quod vocantur, non sunt, id est, in vita, in moribus, in fide, in spe in charitate.* Alium professò sese exhibuit Christianus noster: non in nomine tantum, sed etiam in rebus ipsis inuentus est Christianus; in vita, in moribus, in fide, in spe, in charitate, quodque subsequentia planum facient, in omnibus & vbique Christianus.

Infantiæ annos egressus literis humanioribus in Ciuitate natali imbutus est. Rhetorices præceptorem habuit R. P. *Godefridum Henschenium* R. P. *Ioannis Bollandi* in colligendis, ac digerendis Actis Sanctorum successorem: qui de tali, tantoque discipulo plurimum sibi gloriatur.

Mox autem, vt cœpit animum studijs liberalioribus excolere, apparuit *Adolescentulus*, non *in mentis* tantùm, sed & memoriæ, sed & iudicij, ardorisque studendi *excessu*. Apparuit Lupus rapax, Lupus vorax non pecorum, sed Librorum in memorię ventrem profundè recondens, quid-quid vel legeret, vel à Præceptoribus audiret: quibus accedente indefesso labore, condiscipulos suos longo interuallo semper superauit.

Porrò vis memorię in eo tam tenaciter hæsit, vt propter eam Romæ passim vocaretur *Bibliotheca ambulans*.

Verùm alius mentis excessus manebat Adolescentulum nostrum. Annos 15. natus in mentis terrena hæc omnia supereminentis excessu, huius sæculi inanem strepitum & splendorem exosus, solitudinem sibi colendam proposuit, & Augustinianam Eremum, in qua procul à curis huius mundi per trium votorum obseruantiam securè delitesceret, sibi in Sponsam delegit. O! felix animi! O! felix mentis excessus! O! verè intelligere, verè sapere, te à vanitatis commercio subducere, vt possis tibi Deoque tuo viuere, portans iugum Domini ab Adolescentia tua.

Et

Et verò feliciter portauit Adolescentulus noster. Missus enim de more ad annuę probationis trutinam, in animum suum tam alta iecit religiosæ perfectionis, virtutumque omnium fundamenta, vt nunquam posteà concuti potuerint, imò verò in sublimem spiritualis templi altitudinem, prout posteà patuit, exurrexerint.

Philosophiæ & Theologiæ tam præclaram operam impendit, vt absoluto studio, præter morem, mox Philosophiæ in Conuentu nostro Coloniensi tradendæ admoueretur. Adolescentulus quidem, sed Lupus, sed rapax, sed vorax laboris, & doctrinæ.

Illic incœpit percurrere Philosophiæ dumeta & vepreta. Tantam verò, quà præsidendo, quà oppugnando sibi famam comparauit, vt Alexander VII. tum temporis ad tractum Rheni Apostolicus Nuntius, & à Latere Legatus, tanti Viri eruditione, & argumentorum subtilitate permotus, eum amicitia sua dignatus fuerit, quam etiam conseruauit Pontifex. Anno enim 1655. Defunctus noster Romam profectus, ab eodem Alexandro VII. haud immemore eorum, quæ Coloniæ viderat, sine mora afflatum Apostolicum obtinuit: semperque obtinebat, quoties aut necessitas, aut publica vtilitas id requirebat.

Illic Coloniæ composuit Prodidagmata Philosophica, & Apologiam pro anima Oui aduersus Marpurgensem in Hassia Vniuersitatem, quæ non erubuit, licet infelici conatu, quanta quanta erat opponere se Adolescentulo nostro. Cæterùm, vtrumque hoc opusculum iuuenile, senior iam factus, pro suo vixdum voluit agnoscere.

Ordo Patrum Augustinianorum obseruans tantum Adolescentuli nostri in studijs profectum, noluit eum inter vepreta philosophica consenescere, verùm accersiuit Louanium ad primariam Ordinis sui Theologicam Cathedram. Hic verò Lupus noster rapax per vasta Sac. Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum nemora venari, prædam rapere, comedere, non segni, nec tardo, sed rapacissimo molimine. Hic verè Lupum agere, hic, quidquid vsquam in Historijs, non tantùm Ecclesiasticis, verùm etiam prophanis reperiri poterat, quod ad sacratioris doctrinæ intelligendum conferret, rapere & in ventrem tenacissimæ memorię conferre. Hic dies noctesque insomnes ducere, & studijs impendere. Hic nulli labori parcere, non otium modò, sed colloquium omne, conuersationem omnem auersari: instar Lupi in cellulæ suæ antro perpetuum delitescere, sacræ antiquitatis monumenta scrutari, chartis impallescere, solitus tum temporis, & per insequentes annos, dum per occupationes licuit, quotidiè quindecim horarum spatium sacræ huic venationi & exercitijs impendere. Quo factum est, vt mira Disputationū, & responsionum soliditate Licentiæ gradum protinùs consecutus fuerit.

Quia verò Duaci eius operam Theologica desiderabant studia, eò missus est, vbi toti Academiæ acceptissimus, non tantùm Religiosis vtilem, sed & sæcularibus gratissimam nouauit operam, omnibus Augu-

gustinianæ, veræque doctrinæ studium & amorem commendans, & instillans. Isthic composuit, & in lucem edidit libellum doctissimum de origine Eremitarum S.Patris Augustini. Iactis Duaci purioris Theologiæ fundamentis, quæ etiamnum apud Nostros permanent, ad priorem Spartham Louanium reuertitur, ac pauló post Theses Doctorales tuetur, & omnium applausu, Primarijs Belgij Viris ac Prælatis liberalitate sua cooperantibus, Doctoralem Lauream gloriosè adipiscitur.

Quia verò tantæ doctrinæ, & virtuti Louaniū nimis angustū erat theatrum, Anno 1655. felicissimo consilio Romam proficiscitur, vbi statim totius Curiæ Romanæ fauorem & amorem sibi conciliauit, non modò Pontifici, sed & Eminentissimis Viris, primarijsque Ecclesiæ Ministris, ob singularem doctrinam, animique candorem acceptissimus.

Vnde factum est, vt ægrè Roma dimissus Anno 1660. Louanium reuerteretur, secum conferens à se obtentum diploma Pontificium. In quo præclarissimorum Ecclesię Catholicæ Doctorum SS.Augustini,& Thomæ Aquinatis inconcussa,tutissimaque Dogmata plurimum commendantur. Quæ res cùm huic Academiæ, tum etiam Religioni nostræ, Patrumque Dominicanorum Ordini fuit longè gratissima.

Contulit etiam secum amplissimam nomine Reuerendissimi P.Generalis potestatem prędidendi Capitulo Bruxellis tum habito. Quo Præsidis officio nomine Reuerendissimi Patris bis functus est,bis etiam Diffinitor, studijque etiam Louaniensis Regens vigilantissimus: tandem ad Prouinciæ clauum & regimen omnium suffragantium votis admotus est,licet admodū inuitus, & reluctans. Quo in munere Christianum se Pastorem semper exhibuit, omnibus omnia factus, prodesse non præesse cupiens, quærens non quæ sua sunt, sed quæ IESV CHRISTI.

Porrò Roma redux Lupus noster cœpit diuidere spolia, quæ infatigabili labore vndique conquisierat. Nimirum publico dedit quinque illos tomos Scholiorum omni eruditione refertos, in Decreta & Canones Conciliorum. In quibus Methodo, quod sciam, hactenus intentata, cœpit primus Decreta,& Canones Ecclesiæ, Scholijs, & cōmentarijs illustrare, sicut Origenes illustrasse fertur Scripturam. Adeò autem feliciter cessit ei conatus, vt, iuxta datas è Gallia literas, dubitetur, an hoc sæculo, licet doctissimo, aliquid prodierit huic operi par, aut secundum.

Tomum primum consecrauit Alexandro VII. alterum Flauio Chisio eiusdem Pontificis Emin. Cardinali Nepoti. Qui pro tali munere datis & extantibus apud nos literis singularem Defuncto egit gratias. Quod ipsum fecit Eminen. Iacobus Rospigliosus Clementis IX. Cardinalis etiam Nepos, cui tomum quartum nuncupauerat. Quid autem insuper illis Scholijs in Concilia sentiendum sit, declarant Eminen. ac Doctissimi Cardinalis Brancatij Literæ ad Defunctum datæ 4. Febr.Anno 1674.En verba: *Synodorum Scholia à Paternitate Vestra in tribus tomis nuper exarata maxima mei delectatione à Reuerendissimo Domino Airoldo sum assecutus.*

tus. *Et certè laborem, summam eruditionem, æconomiamque rerum sum admiratus : mille Clypei pendent ex ijs, quibus Sedes Apostolica, eiusque authoritas constabilita, Patrumq; testimonijs & historia Ecclesiastica communita conspicitur. Vnde infinitas Tibi referam gratias semper, meque totum Paternitati tuæ trado in omnibus obsecuturus*.

Aliorum Eminentissimorum Dominorum literę nobis in promptu sunt, quæ paria dabunt de tomis præfatis elogia. Sicut etiam de Scholijs in Librum Tertulliani de præscriptionibus Eminen. Cardinali Domino Palutio de Alterijs nuncupatum. Opus verò postremum de Priuilegio Sancti Petri circa Appellationes Romanas Innocentio XI. (quem Deus benignè nobis conseruet,) nuncupatum, ab Authore cum vita completum, quemadmodum ab Ecclesiæ Romanæ Principibus Viris, summa auiditate fuit expectatum, ita non minori lætitia indubitanter fuerit susceptum.

Vidimus hactenus Lupi nostri rapacitatem in conquirendis, & diuidédis spolijs doctrinæ. Est & alia haud ignobilior Lupi rapacitas, quę iuxta Ambrosium sub finem libri 5. in Lucam non est *furtiua sublatio, sed triumphalis direptio*. De qua apud S. Matthęum cap. 11. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Quem locum fusè explicans idem Ambrosius Sermone 15. de Natali Domini, *Scriptum est enim*, inquit, *de Patriarcha nostro Beniamin : Lupus rapax*. Beata rapacitas, quæ cælum rapit! *Beata Violentia*, inquit ibidem Ambrosius, *quæ non indignatione percutitur, sed misericordia condonatur! Beata, inquam, violentia, quæ vim patienti bonitatem elicit, & tribuit vtilitatem inferenti!* Et prosequitur: *aggredimur ergo in itinere Dominum, siquidem ipse est via, & more Latronum* (seu Luporum) *suis eum spoliare nitimur, cupimus illi auferre regnum, thesauros, & vitam, sed ille tam diues, & largus est, vt non abnuat, non resistat, & cùm omnia dederit, nihilominus omnia ipse possideat. Aggredimur*, inquā, *illum non ferro, non fuste, non saxo, sed humilitate, mansuetudine, bonis operibus, castitate*. Hæc Ambrosius.

Age videamus in Lupo nostro sanctam hanc, & beatam rapacitatem, quā cælorum regnum violentè rapuit. Ambrosio teste rapitur hęc præda humilitate, mansuetudine. O! igitur Te regni Cælorum LVPE, rapacissimum. Quæ enim humilitas humilitati tuæ, quæ mansuetudo mansuetudini tuæ, non dico coæquari, sed comparari posit? fuit Tibi habitus vilis, Cella vnica longitudinis sex & viginti, & latitudinis sexdecim pedum, non alio, quàm Librorum, mensę, & Crucifixi, cum Benedictæ ipsius Matris Imagine, ornamento decorata. Cibus Tibi obuius, & communis, sermo omnibus, etiam infimis quibusque blandus, & familiaris, gressus incultus, & perfectum Religiosi Viri specimen exhibens.

Non magnum est, inquit Bernardus, *esse humilem, in abiectione : magna, & rara virtus est humilitas honorata*. Magna igitur, & rara virtus est humilitas Lupi nostri, qui cum ab omnibus honoraretur, etiam ab Eminentis-

nentissimis Cardinalibus, imò Pontificibus, nihilominùs intra modestiæ Religiosæ limites semper se continuit.

Oblatę sunt ipsi primatię totius Ordinis dignitates, at recusauit. Oblata est Sacrarij Pontificij Præfectura cum Episcopatu annexo, renuit, contempsit, satiùs ducens in humili saluari, quàm in sublimi dignitatum periclitari.

Prodigiosum est, & omnis humilitatis caput & summarium, quod dicturus sum. Nimirùm Vir talis, ac tantus Morti proximus instantissimè petijt extra Ecclesiam hanc sepeliri, & in claustro hic vicino cum Fratribus Laicis ossa sua collocari. Quis huic humilitatem vidit, quis audiuit similem?

Constat autem non subitaneo, nec extemporaneo consilio id factum, nam in Abaco Defuncti reperta est schedula eamdem petitionem continens, Defuncti nostri manu propria diu ante conscripta, & signata. Quãquam autem, & verbo, & scripto vilem illum sepulturæ locum enixè postulasset, coactus nihilominùs est, quamuis cum summo cordolij testimonio, acquiescere superioribus volentibus eum, qui se ita humiliauerat exaltari, & in Chori medio collocari.

De cæteris verò virtutibus eius, quibus sancta rapacitate cælum rapuit, quid dicam, imò verò quid non dicam? Castissimam, & ab omni spurcitie remotam vitam duxit, socio sibi familiarissimo quandoque candidè professus: *saluam ego semper seruari castitatem*. Temperantissimus fuit in cibo & potu, vt de ipso quandoque ex vero dictum fuerit, quod apud Comicum legitur: *prandet obolo*. Officij diuini cultor fuit singularis, verificans, quod de Bernardo scribitur: *in Ecclesiam matutinis alijsque Conuentibus primus ingreditur, vltimus inde discedit*. Neque infinitæ occupationes eum a pietatis studio vnquam auertere potuerunt. Fecit quod de Venerabili Beda, in prefatione eius Operibus præfixa legitur: *Tria verò huic sancto Viro fuerunt per totam vitam familiaria, orare, scribere, docere*. Primùm orabat, deindè soli scriptioni; & doctrinę operam dabat.

Fuit etiam singularis cultor Deiparæ Virginis, quod quidem Lectori planum est ex eius scriptis, & præcipuè Notis in S. Leonis Noni Concilium Moguntinum, vbi curiosissimè, & exactissimè coaceruat, quidquid ex antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis pro festo Conceptionis beatæ Mariæ Virginis depromi potest.

Cæteras autem eius virtutes, quis fando commemorare, vel pro meritis celebrare possit? sanè præscripti mihi temporis angustiæ, vt impendam gratissimum illud dicendi officium, non sinunt. Non possum tamen eam, quæ omnes complectitur virtutes, charitatem prætermittere. Fuit defunctus noster charitatis Doctor eximius: testantur ea, quæ charitatis promouendę zelo de charitate scripsit opuscula. At verò non tantus fuit Charitatis, Doctor, quantus & Cultor. Postremæ suæ infir-

mitatis

mitatis tempore identidem inclamauit, *cupio dissolui, & esse cum Christo*. Sed & antea totius vitæ suæ rationem ad Charitatem velut ad Cynosuram direxit. Prouincialatus tempore, totum quantum erat regimen, charitatem spirabat, & ad charitatem ducebat. Charitas erat illi Alpha & Omega, principium, & finis. Omne eius consilium, monitio, correctio, præceptum, visitatio, charitas erat, a charitate oriebatur, & ad charitatem reuertebatur. Scopus illi meta vna fuit semper charitas.

Ex eodem charitatis fonte fluebat, indefessa illa solicitudo, quâ puerorum, & Adolescentum Sacramentalem Confessionem audiebat, neglectis etiam summi momenti negotijs. Quo in Charitatis officio tantùm profuit, vt oppidatim, & pagatim innumeros reperias, præcipuè Ecclesiasticos, qui eius instructionibus edocti, fructum referant centuplum in tempore suo.

Quæ cùm ita sint, & Lupus noster rapax non tantùm doctrinæ, sed & virtutum spolia sibi conquisierit; miramur, quod sibi etiam spolia conquisierit gratiæ, non tantùm apud Deum, sed & homines, dilectus Deo & hominibus? Miramur, quod Plebeiorum, Ciuium, Nobilium, Magnatum, Ecclesiasticorum, Illustrissimorum, ac Eminentissimorum, imò Sanctissimorum Dominorum animos, corda, affectus, desideria suaui quadam rapacitate ad se rapuerit? Imò verò magna me teneret admiratio nisi res ità contigisset. Fieri enim non potuit, vt tam illustres doctrinæ, virtutumque dotes, non amarentur. Habent illæ amoris illecebras ineuitabiles.

Hinc factum est, quod ab hac sacra Facultate Romam ob fines notos Deputatus, Moderno Pontifici gratissimus aduenerit, & negotium propositum authoritate sua plurimum promouerit.

Hinc factum est, quod idem Sanctissimus Dominus miserit intimum suum Secretarium, qui Christianum nostrum tum temporis infirmum nomine suo inuiseret, & solaretur, quodque etiam tres Eminentissimi ac purpurati Ecclesiæ Principes personale eum visitandi munus tum temporis obierint.

Hinc etiam factum est, quod ægrè admodum, & quadam velut amica violentia, tandem ad suum gregem redeundi, facultatem obtinuerit.

Hinc factum est, vt in eodem discessu a Sacro Collegio de Propaganda fide dono gratuito acceperit Libros pretio trecentorum, aut circiter florenorum.

Hinc factum est, vt Clemens IX. Apostolici Sacrarij Præfecturam cum annexo Episcopatu eidem spontè obtulerit.

Hinc factum est, quod Eminentissimi Cardinales, & etiam Supremi Ecclesiæ Ministri, quamplurimas ad eum dederint literas merum amoris, & beneuolentiæ nectar spirantes. Centenas his manibus tetigi, his oculis vidi. Inter quas Emin. cuiuspiam manuscripta hæc verba reperiuntur: *Tanquam amicus ad amicum scribo*.

Hinc

Hinc factum est, vt Regina Succiæ eum accerseret, quò conferentiæ à se institui solitæ, interesset.

Hinc factum est, quod Sac. Collegium de Propaganda Fide voluerit, vt interesset congregationi quindena quauis fieri consuetæ: in qua etiam coram tribus Cardinalibus Defunctus noster orationem habuit non semel doctissimam.

Hinc factum est, quod magnus Hetruriæ Dux defuncto spontè obtulerit Lectionem Theologicam, amplissimo etiam stipendio dotatam, cum viatico pro transmittendis Libris plusquam sufficientissimo.

Hinc factum est, quod Primarij Curiæ Bruxellensis Viris Amplissimis D.D. *Roose, Stokmans*, alijsq; meritò nominãdis, gratissimus semper fuerit. Imò ipsi suæ Celsitudini, à qua Regiæ Lectionis beneficio donatus est.

Hinc denique factum est, vt verbo finiam, quod fuerit Vrbis, & Orbis delicium, omnium amor factus.

Omnium, inquam, corda, omnium affectus rapuit Christianus noster: creditisne non rapuisse regnum Cœlorum, ad quod tam ardenter anhelabat? Imò verò rapuit, faustam prædam comedit, felicia æternæ beatitudinis, destructa corruptione mortis huius diuisit spolia. Rapuit regnum cælorum, non ferro, non fuste, non saxo, sed humilitate, sed mansuetudine, sed castitate, quam ad regni cœlorum *triumphalem direptionem* requisiuit Ambrosius. Et quidni rapuisset, quando perfectam illam habuit Charitatem, quam ex Augustini sententia remissioni peccatorum stata lege coniunctam esse constat? Nimirum habuit charitatem illam qua fit, vt homo *patienter viuat, & delectabiliter moriatur*. Patienter vixisse testes sunt, quotquot ægrotanti adfuerunt. Viderunt hominem, qui, vt de S. Basilio legitur, *tantùm spiritu viuens præter ossa, & pellem nulla præterea corporis parte constare videbatur*, nihilominus inexplicabiles ab Ictero, Hydrope, calculo, alijsque morbis dolores inuictissima patientia tolerantem: animo prorsùs immoto. Nullum hic verbum querulum, nulla aduersus Deum mumuratio audita. Sed & *delectabiliter moriebatur*. Perpetuò enim audiebantur hæ voces: *Laus Deo*: *vtinam sponsus hac nocte veniat, cupio dissolui, & esse cum Christo*. Vnde etiam sponte sua, & citra Medici monitum multis diebus ante mortem sibi administrari voluit Sacrum Viaticum, & Extremæ Vnctionis Sacramentum. Cùm R. adm. *P. Marcus ab Auiano* Capucinus ad eum accessisset; manus impositione eum dignatutus, mox protestatus est, *haud dignum se esse, cuius causa patrarentur miracula, se miserum peccatorem nihil aliud in votis habere, quam eius benedictione spiritum suum transmitti in manus Domini* IESV. Ipso mortis eheu! funesto die monitus à Medico his verbis: *Instat tempus ad quod ita anhelasti, Dominus propè est*. Alacriter respondit: *Laus Deo in æternum*. Postmodùm cùm interrogasset quantum temporis vitæ sibi superesset: Medicus respondit, *vltra duodecimam meridianam non esse superuicturum*. Iterum subiunxit, *Laus*

Deo

Deo, petijtque aduocari R.adm. P. Priorem, & legi solitas preces Ecclesiæ. Quibus de more perlectis petijt se sibi soli relinqui, vt vacaret meditandis Sacris Scripturis. Quod & illi concessum est. Hora vndecima interrogauit quota esset hora, & accepto responso, iterùm dixit, *Laus Deo*. Ad medium duodecimæ, *Iam*, inquit, *Mors instat, sentio enim in capite,& manibus sudorem frigidum*. hora duodecima cùm daretur solitum signum pro recitanda Salutatione Angelica, quæ tum lecta fuit, ad singula respondit *Amen*. Post spatium autem subsequens vnius, alteriusue *Miserere*, extinctus est morte iustorum, qui vixerat vita iustorum, & vt omninò confidimus, recepit mercedem iustorum.

Porrò circa eius mortem, obseruo, quod sicut Moysi morienti non sunt moti dentes, sic nec Defuncto nostro, quod iuxta Ghislerium significat immotam doctrinæ constantiam. Scilicet Defunctus noster immotè constitit in ijs, quas tradidit dogmaticis sententijs. Ne morienti quidem moti sunt doctrinæ dentes. Rem ita se habere, sacrum, quod hic iacet cadauer, si loqui posset, etiamnum affirmaret. Veritus tamen ne sibi de charitate scribenti, aliquod verbum,vel epithetum à charitate alienum calamo, vel ore quandoque excidisset, priusquàm moreretur,petijt illud, qualecumque delictum condonari, & ab ijs, quos fortè læserat, veniam postulari. Adeò Christianè Christianus noster obijt.

Hic sermonem absoluerem, nisi erga defunctum Præceptorem quondam meum pietas, me pro eo vicaria legatione apud Deum fungi præciperet. Ad te itaque conuertor Clementissime Deus, & quod pro Matre Monica fudit Augustinus,* fundo Tibi Deus noster lacrimarum genus, quod manat de concusso spiritu consideratione periculorum omnis animæ, quæ in Adam moritur. Quamquam famulus tuus CHRISTIANVS *in Christo viuificatus, etiam nondum carne resolutus, sic vixerit, vt laudetur nomen tuum in fide, moribusq. eius, non tamen audeo dicere, ex quo eum per Baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ex ore eius contra præceptum tuum. Et dictum est à Veritate Filio tuo, si quis dixerit fratri suo fatue, Reus erit gehennæ ignis. Et væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Quia verò non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum inuenire Indulgentiæ. Ego itaque laus mea,& vita mea Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis famuli tui deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno,& sedens ad dexteram tuam interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatum, & ex corde dimisisse Debita Debitoribus suis, dimitte illi, & tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte Domine, dimitte obsecro, ne intres cum eo in iudicium. Superexaltet misericordia iudicium, quoniam eloquia tua vera sunt, & promisisti misericordiam misericordibus. Quod vt essent, tu dedisti eis, qui misereberis cui misertus fueris, & misericordiam tuam præstabis, cui misericors fueris,*

fueris. Nemo à protectione tua dirumpat eum, non se interponat nec vi, nec insidia Leo: neque enim respondebit ille nihil se debere, ne conuincatur, & obtineatur ab Accusatore callido, sed respondebit dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet, quod pro nobis non debens reddidit. Sit ergo in pace, & inspira Domine Deus meus, inspira seruis tuis fratribus meis, quibus & voce, & corde seruio, vt quotquot hac audiuerint, meminerint ad altare CHRISTIANI *famuli tui*: qui quidem vixit Auditores, & ego.

DIXI.

Epitaphium Defuncti manu scriptum recenter repertum.

HAeres peccati, naturâ filius iræ,
Hîc jaceo, dignus nomine reque Lupus:
Indignus, non re, sed solo nomine Doctor,
Verbis, non factis me docuisse fleo.
Perdocuisse alios, & non docuisse seipsum,
Quid juvat? O! Mundi fumus, inane, nihil!
Agne Deus, Patris doctrina, Redemptio Mundi,
Nunc tibi prostratum commiserare Reum.
Et Latro, & Meretrix gratis tua Regna subintrant,
Gratia peccatis fiat, & ista meis.

Et infrà: *Supplico sepeliri inter Fratres Laicos, quorum meritis diuina clementia dignetur me indignum adiungere.*

